



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd spiritus non tertius sit in substantia hominis, vt quidam affirmant.
vii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

*Quod homo constet duabus substantiis.**Caput VI.*

Dubus substantiis constat homo, anima tantum & carne. *Idem.*
 ne. Anima cum ratione sua, & carne cum sensibus suis, id est, visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu. Quos tamen sensus absque animæ societate non mouet caro: anima vero & sine carne rationem suam integram tenet.

Quod spiritus non tertius sit in substantia hominis, ut quidam affirmant.

Cap. VII.

Non est tertius in substantia hominis spiritus ut dydimus contendit, sed spiritus ipse est anima. Anima vero pro spiritali natura, vel pro eo quod spiret in corpore, spiritus est appellata. Animam vero ex eo vocari quod ad viuificandum animatur & corpus. Tertium vero, qui ab Apostolo cum corpore & anima inducitur spiritus, gratiam sancti spiritus intelligendum, quam orat Apostolus ut integra perseueret in nobis, nec nostro vitio, aut minuatur, aut fugatur a nobis: quia spiritus sanctus disciplina effugiet fictum. *Idem.*

Quod Deus sicut ex nihilo bona facere potuit, ita cum voluit per incarnationis suæ mysterium, etiã perditâ bona reparauit.

Cap. VIII.

Omnipotens Deus sicut ex nihilo bona facere potuit: *Grego. in suis moralibus.*
 ita, cum voluit, per incarnationis suæ mysterium etiam perditâ bona reparauit. Duas verò ad intelligendum se creaturas fecerat, angelicam videlicet, & humanam. Vtramque verò superbia perculit, atque ab statu ingenitæ rectitudinis fregit: sed vna tegmen carnis habuit, alia vero nil infirmum de carne gestauit. Angelus nanque solummodo spiritus: homo verò, & spiritus, & caro. Misertus ergo creator ut redimeret, illam ad se debuit reducere, quam in perpetracione culpæ ex infirmitate aliquid constat habuisse: & eò altius debuit apostatam angelum repellere, quò cum à persistendi fortitudine corruit, nil infirmum ex carne gestauit. Unde & resè Psalmista cum misertum redemptorem hominibus diceret, ipsam quoque causam misericordiæ expressit, dicens: Et memoratus est quia caro sunt. Ac si diceret. Quò eorum infirma vidit, eò districtè culpas punire noluit.

QQ iiii